

Fragment 32a

Contents

The Gospel according to Matthew 26: 47-61. The treason of Judas, the text beginning at the arrival of Judas and the armed mob.

The transcription maintains the justification of the one column of 19 lines (written space 130 x 85 mm), the hyphenation marks and punctuation of the text. Abbreviations expanded in italics.

R. Faunce, August 2018

recto

[gladi]is et fustibus missi a principibus sacerdotum:

et senioribus populi . Qui autem tradidit

eum: dedit illis signum, dicens. Quemcunque

osculatus fuero .is¹ est. tenete eum . Et confe-

stim accedens ad iesum dixit . Aue rabbi.

Et osculatus est eum. Dixitque illi iesus. ‡

Amice: ad quid uenisti .~ Tunc accesserunt

et manus iniecerunt in iesum: et tenuerunt

eum . Et ecce unus ex iis qui erant cum iesu.

extendens manum: exemit gladium suum:

et percutiens seruum principis sacerdotum

amputauit auriculam eius. Tunc ait illi

iesus. Conuerte gladium tuum in locum

suum . Omnes enim qui acceperint gladium

gladio peribunt. An putas quia non pos-

sum rogare patrem meum: et exhibebit

mihi modo: plusquam duodecim legiones an-

gelorum . Quomodo ergo implebuntur

scripture: quia sic oportet fieri . [26: 55] In illa hora

¹ The text has *is* for *ipse* (26: 48)

verso

dixit iesus turbis . Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me.~ Quotidie apud uos sedebam docens in templo et non me tenuistis . Hoc autem totum factum est: ut adimplerentur scripture prophetarum . Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. At illi tenentes iesum, duxerunt ad caypham principem sacerdotum: ubi scribe et seniors conuenerant. Petrus autem sequebatur eum a longe, usque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro sedebat cum ministris ut uideret finem . Principes autem sacerdotum et omne concilium querebant falsum testimonium contra iesum: ut eum morti traderent . Et non inuenerunt cum multi falsi testes accessissent. Nouissime autem uenerunt duo falsi testes: [26: 61] et dixerunt: hic dixit. Possum destruere templum dei et post triduum redificare illud].